



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

8 vtrum iustitia particularis habeat propriam materiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

Ad primum ergo dicendum, quod iustitia legalis sufficienter quidem ordinat hominem in his, quae sunt ad alterum, quantum ad commune quidem bonum, immediate: quantum autem ad bonum unius singularis personae, mediate. Et ideo oportet esse aliquam particularem iustitiam, quae immediate ordinat hominem ad bonum alterius singularis personae.

Ad secundum dicendum, quod bonum commune civitatis, & bonum singulare unius personae non differunt solum secundum multum, & paucum, sed secundum formalem differentiam. Aliqua enim est ratio totius, & partis. Ideo Philosophus in 1. Politic. dicit, quod non bene dicuntur, qui dicunt civitatem, & domum, & alia huiusmodi differre solum multitudine, & paucitate, & non specie.

Ad tertium dicendum, quod domestica multitudo secundum Philosophum in 1. Politic. distinguitur secundum tres coniugationes. Luxoris & viri, patris & filii, & fratris, quarum personarum una est quasi aliquid alterius. Et ideo ad huiusmodi personas non est simpliciter iustitia, sed quaedam iustitia species, scilicet, oeconomica, ut dicitur in 5. Ethic.

ARTICVLVS. VIII.

Utrum iustitia particularis habeat materiam specialem.

Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod iustitia particularis non habeat materiam specialem. Quia super illud Gen. Fluuius quartus ipse est. Euphrates, dicit Glossa Euphrates, frugifer, interpretatur: nec dicitur contra quos vadat, quia iustitia ad omnes animae partes pertinet: hoc autem non esset, si haberet materiam specialem, quia quilibet materia specialis ad aliquam specialem potentiam pertinet. Ergo iustitia particularis non habet materiam specialem.

¶ 2. Praet. Aug. dicit in libro 83. quod quatuor sunt animae virtutes, quibus in hac vita spiritualiter vivitur. scilicet temperantia, prudentia, fortitudo, & iustitia. Et dicitur, quod quarta est iustitia, quae per omnes diffunditur. Ergo iustitia particularis, quae est una de quatuor virtutibus cardinalibus, non habet specialem materiam.

¶ 3. Praet. Iustitia dirigit hominem sufficienter in his, quae sunt ad alterum: sed per omnia quae sunt huius vitae homo potest ordinari ad alterum. Ergo materia iustitiae est generalis, & non specialis.

Sed contra est, quod Philosophus in 5. Ethic. ponit iustitiam particularem circa ea specialiter, quae pertinent ad communicationem vitae.

Responsio. Dicendum, quod omnia quaecumque rectificari possunt per rationem, sunt materia virtutis moralis, quae diffinitur per rationem rectam, ut patet per Philosophum in 5. Ethic.

Posiunt autem per rationem rectificari & interiores animae passionnes, & exteriores actiones, & res exteriores, quae in usum hominis veniunt: sed tamen per exteriores actiones, & per exteriores res, quibus sibi inuicem homines communicare possunt, attenditur ordinatio unius hominis ad alterum: secundum autem interiores passionnes consideratur rectificatio hominis in seipso. Et ideo cum iustitia ordinetur ad alterum, non est circa totam materiam virtutis moralis, sed solum circa exteriores actiones, & res, secundum quamdam rationem obiecti specialem, prout scilicet secundum eas unus homo alteri coordinatur.

Ad primum ergo dicendum, quod iustitia pertinet quidem essentialiter ad unam partem animae, in qua est sicut in subiecto. scilicet ad voluntatem, quae quidem movetur per suum imperium omnes alias animae partes. Et si iustitia non directe, sed quasi per quandam redundantiam ad omnes animae partes pertinet.

Ad secundum dicendum, quod sicut supra dictum est, virtutes cardinales dupliciter accipiuntur. Uno modo, secundum quod sunt speciales virtutes habentes determinatas materias. Alio modo, secundum quod significant quosdam generales modos virtutis: & hoc modo loquitur ibi Augustinus. Dicit enim quod prudentia est cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum. Temperantia est refractio cupiditatis ab his, quae temporaliter delectant. Fortitudo est firmitas animi adversus ea, quae temporaliter molesta sunt. Iustitia est, quae per ceteras diffunditur, dilectio Dei, & proximi, quae scilicet est communis radix totius ordinis ad alterum.

Ad tertium dicendum, quod passionnes interiores, quae sunt pars materiae moralis, secundum se non ordinantur ad alterum, quod pertinet ad specialem rationem iustitiae, sed earum effectus sunt ad alterum ordinabiles, scilicet operationes exteriores. Unde non sequitur, quod materia iustitiae sit generalis.

ARTICVLVS. IX.

Utrum iustitia sit circa passionnes.

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod iustitia sit circa passionnes. Dicitur enim Philosophus in 5. Ethic. quod circa voluptates, & tristitias est moralis virtus: voluptas autem est delectatio, & tristitia sunt passionnes quaedam, ut supra habitum est, cum de passionibus ageretur. Ergo iustitia, cum sit virtus moralis, erit circa passionnes.

¶ 2. Praet. Per iustitiam rectificandae operationes, quae sunt ad alterum: sed operationes huiusmodi rectificari non possunt, nisi passionnes sint rectificate, quia ex inordinatione passionum provenit inordinatio in praedictis operationibus. propter

terioribus, quibus ad alium ordinamus. Verum operationes istae non sunt unius modi. Nam aliqua sunt, quae secundum seipsas iustum, vel iniustum suscipiunt, ut percussiones, occisiones, reverentiae, & huiusmodi. aliqua vero sunt, quae secundum earum materiam iustum vel iniustum suscipiunt, ut emptio, venditio, restitutio &c. Haec enim secundum res, quae venduntur, aut restituntur, puta, domos, agros, pecunias, iusta, vel iniuste dicuntur. Et propter hanc diversitatem in littera ponuntur duae materiae iustitiae, scilicet secundum actiones, & res exteriores.

Super quatuordecim articulis nonum.

1. 2. q. 61. art. 3. & 4.

Eodem li. 7. c. 1. arg. citatis.

Super quatuordecim articulis nonum.

In articulo eiusdem quod in responsione ad primum cum legis, quod delectatio est finis principalis &c. non intelligas, quod est finis principalis ipsius virtutis. Iam enim dictum vides in littera, quod est finis consequens, sed quod est principalis, quod ad nostrum iudicium discretivum boni, & mali. Discretivum namque male habituum, vel bene habituum ex delectatione in bono, vel malo. Temperatus enim gaudet abstinentia: iustus

4. dist. 15. q. 1. art. 1. q. 2. ad 2. Li. 2. c. 3. tom. 5.

1. 2. q. 23. art. 4.